OFFICIUM S. JOSEPH A LEONISSA CONFESSORIS.

DUPLEX MAJUS.

A Sac. Rit. Congreg. Ordini FF. Minorum Recoll. ad postulationem Ministri Generalis concessum die. 11. Januarii 1749.

DIE XX. FEBRUARII.
In festo sancti Joseph à Leonissa Confessoris.
Duplex majus.
Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis.
In Hymno Iste Conféssor. mutatur tertius versus.

Oratio.

DEus fidélium remunerâtor servôrum, qui beâtum Joséphum exímium in Euangélica prædicatióne operárium effecísti; ejus quæsumus intercessióne concêde, ut à grato tibi servítio numquam cessêmus in terris, & plenam à te mercêdem recipiâmus in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Lectiones primi Nocturni.
Beâtus vir. de eodem Communi secundo loco.
In secundo Nocturno.
Lectio iv.

JOséphus Leonissæ in Aprútio piis, honestísque paréntibus natus, à pueríria cœpit clarêre virtútibus. Nam, & certos sibi indíxit jejúnii dies, & in pietâtis opéribus maximópere delectabâtur. Factus adolescéntior oblâta sibi óptima conjúgia castimóniæ sédulus cultor strénuè recusâvit, & consanguineôrum blandiméntis superátis, Capuccinôrum Institúto nomen dedit. In Religiône austeríssimum vitæ genus

genus ſectâtus eſt. Aliquándo enim fabârum corruptârum pugíllo, módico pane, eóque múcido, & cœnóſa aqua, étiam dum ſacris conciónibus óperam daret, vitam tranſigêbat. Sæpè étiam ad ſex, & octo dies omni prorsùs cibo abſtínuit, duris, cruentíſque verbéribus, aſpérrimo cilício, ferreáque caténa corpus domâbat.

℟. Honéſtum fecit illum Dóminus, & cuſtodìvit eum ab inimícis, & à ſeductóribus tutâvit illum: * Et dedit illi claritâtem ætérnam. ℣. Juſtum dedúxit Dóminus per vias rectas, & oſténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

Ardentíſſima charitâte, & ſtúdio dilatándæ chriſtiánæ religiônis accénſus, Conſtantinópolim profectus, Chriſti fidélibus in captivitâte degéntibus sédulò opitulabâtur. Fídei deſertóres reducébat. Nutántes in Religiône confirmâbat, verbéribus licet, cárcere, & contuméliis vexâtus. Quare cùm finem verbi Dei diſſeminándi non fáceret, alta è trabe péndere juſſus, manu pedéque dextro unco férreo perforátis, fumôque, ut ſuffocarêtur, ſuppóſito, in eo cruciátu Chriſti Athléta tríduo permánſit. Indeque ab Angelo mirabíliter eréptus, ſanátis vulnéribus martyrii mérito cumulâtus in Itáliam revérſus eſt, ibique euangelizándis paupéribus cum ingénti animârum lucro totus incúbuit. Finítimas regiónes, & famílias factiónibus, ódiis, rixíſque propè conféctas précibus, conciónibus, continénti virtûtum exémplo ad tranquillitâtem redégit.

℟. Amâvit eum Dóminus & ornâvit eum, ſtolam glóriæ índuit eum: * Et ad portas paradíſi coronâvit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorîcam fidei, & ornâvit eum. Et ad.

Lectio vj.

Ludos, chóreas, alióſque tùm véteres, cùm gliſcéntes abúſus acriter inſectabâtur. Illúdque planè admirábile, quod vir Dei neque inédia, neque ſolis æſtu, neque imbrium vi, neque locôrum aſperitâte, ægra aliéqui, & averſa ſæpè valetúdine, præpeditus, ſex, & octo eâdem die conciónes habúerit. Tot inter Apoſtólici múneris labóres cœléſtium contemplatióni addíctus crebrò in ecſtaſim raptus eſt, divinôque ſpíritu afflâtus córdium arcâna

càna penetrâre ; & futûra prospícere frequens illi fuit, Grátia étiam miraculôrum illústris Truéntum exténso super aquas pállio cum Sócio , & Marôjam flúvîum bis sicco vestígio transivit. Prænuntiáta dénique mortis suæ die, Ecclésiæ Sacraméntis reféctus, placidíssimè in ósculo Dómini occùbuit. Defúncti Corpus præ mácie squálidum miram íllicò venustâtem índuit. Cor ejus usque in præsens molle, suavémque spirans odôrem summa ómnium admiratiône adservâtur. Illum miráculis clarum Clemens Duodécimus beâtum appellâvit, ac Benedíctus Decimusquártus solémni pompa Sanctôrum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo perfêcit ómnia, quæ locûtus est ei Deus, & dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus Géntibus. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cœléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia.

Lectiones tertii Nocturni de Homilia sancti Gregorii Papæ in Euangelium. Designâvit Dóminus. ut in Communi Euangelistarum.

Missa. Justus, ut palma florêbit. Euángelium. Designâvit. ut in festo S. Marci Euangelistæ, die 25. Aprilis.